

qui nihil magis unquam in votis habuerit quam a Sanctitate Domini Nostri gratiam moereri et assequi quam tot propriis suppliciter precibus tot quam aliorum intercessionibus incessanter tamdiu quesivit, et ut re magis quam verbis demonstraret eundem ducem nostrum summopere desiderare ut a prefata Sanctitate Domini Nostri in gratiam recipiatur et tamquam devotissimus filius et vassallus Sanctae Sedis Apostolicae tractetur, dicimus ipsum ducem libentissime consentire quod omnes differentiae quas cum ipso Sanctitas eius habere pretendit ab ipso Caesare veluti prudentissimum pariter quam iustissimum principem et imperatorem, qui pro pace et quiete Italiae longe maiora composuit, illud quoque convenienter compositurum. Quod si per ipsum S. D. N. steterit quominus dictae differentiae tanto principi auctore et tractante concorder componi nequeant et cogamur ad aliam viam devenire ea quae decet reverentia ac submissione conabimur ostendere, contenta in dictis capitulis, quarum a Sanctitate Sua petitur executio, nullam pro iustitia executionem moereri, subicientes tamen nos sapientissimo iudicio Caesareae Maiestatis et D. N.

Dicemus ergo ac dicimus nos considerata Caesaris bonitate ac prudentia et vere imperatoria integritate pro comperto habere Maiestatem Suam per dicta capitula nihil iniustum nihil iniquum nihilque quod in alterius iniuriam cedat promittere intendisse, prout etiam ex ipsis dictorum capitulorum verbis satis manifeste apparet, idque sapienter et Maiestatem Caesaream significasse constat, cum promittens Sanctitati Suae recuperationem terrarum, de quibus in ipsis capitulis fit mentio, dicat, cum primum id fieri poterit, nam illud dicimus posse quod de iure possumus putamusque, et omnino credendum est ipsam Maiestatem Caesaream executionem promissionis suae tunc demum esse faciendam sensisse, cum cognitum ac declaratum esset praefatam Sanctitatem, ut petit, pro iustitiae esse reintegrandam et non antea quippe iniustum esset ante rem cognitam et indicatam executionem fieri, quod etiam plenius ostenditur dum Maiestas Sua dicit, vel alio convenientiori modo. Quis enim modus convenientior dici potest quam modus iustitiae cum praesertim concessionem promissionem imperiales semper intelligendae sint ne quid iniustum neve quid in damnum et iniuriam tertii contineant, imo si quid iniustum ad petentis suggestionem promississet, ad eius observationem minime teneretur, sed potius id observando peccaret cum maxime dedecens esset, et unde iura oriuntur inde iniuria proveniret. Videndum est igitur

an petita per Sanctitatis Domini Nostri agentes sint iusta quod profecto Beatitudini eius melius quam cuiquam alteri liquere putamus. In primo articulo petitur Sanctitatem Domini Nostri et Sanctam Sedem Apostolicam ut indebite et de facto spoliata per ducem nostrum civitatibus Mutinae et Regii ac Ruberiae, quarum possessionem civilem semper animo se retinuisse ac retinere asserit, ipsa Sanctitas Domini Nostri et siciusingere naturalem licite advocando non offensores sed defensores partes se retinere profiteatur ut iustum est reintegretur et restituatur.

Cum autem Sanctitas Sua petat se uti spoliata reintegrari, quis negaverit ante omnia eam docere debuisse se vel Sedem Apostolicam prout asserit de facto indebite spoliata fuisse? Profecto nemo. Nonne debet insuper constare ipsam Sanctitatem Domini nostri naturalem possessionem recuperare licite posse ac civilem ipsam animo retinuisse, cum omnia haec in ipso capitulo sint narrata et iis praesuppositis pro veris Maiestas Caesarea ea promiserit quorum nunc petitur executio? Si enim Maiestati Suae narratum fuisset Sanctitatem Suam seu Sedem Apostolicam non fuisse spoliata, et spoliū, quod asseritur fecisse ducem Ferrariae, fuisse legitimum et sic emanatum ab eo quem Sedes Apostolica prius spoliaverat, et propterea recuperationem potius quam spoliū merito illud esse dicendum, quis credat Caesaream Maiestatem iustissimam talia promittere voluisse quae ferent tam contra iura divina quam humana? Cum igitur per praefatae Sanctitatis Domini Nostri agentes nihil ex praedictis praesuppositis demonstraretur, imo nec demonstrari possint, verum esse, quomodo dici potest, ad executionem dictorum promissorum devenire debere, et quamvis onus probandi praedicta ad ipsius Sanctitatis Domini Nostri agentes, qui petitoris partes agunt, pertineret, tamen pro evidentiori demonstratione ipsius ducis nostri iurium quae profecto sunt notoria et luce meridiana clariora pauca ex multis adducemus, plura longiori oratione dicturi si Maiestas Caesarea iusserit, prout alias publica allegatione in Sanctissimae Beatitudinis Suae conspectus, praesentibus aliquot reverendissimis cardinalibus et duce Suessae tum Romae oratore Caesareo, observantibus Sedis Apostolicae advocatis, adduximus et aperta fronte demonstravimus. Affirmamus ergo nullum ex parte dicti ducis spoliū factum fuisse contra praefatam Beatitudinem seu Sedem Apostolicam, quoniam nulla dictarum terrarum penes ipsam erat possessio, ut loco et tempore demonstrabimus; qui autem non